

efficaciae voti simplicis et solemnis, utrum et jure naturali et divino ortum habeat, an ex jure duntaxat ecclesiastico? Sunt autem rationes plures, cur putemus id totum ex jure ecclesiastico proficisci: 1. quia utrumque votum essentialiter non differt; quare Coelestinus III cap. 6 QUI CLERICI haec habet: « simplex votum apud Deum non minus obligat quam solenne. » 2. Quia Bonifacius VIII cap. unic. de Voto in 6 expresse testatur, « quod voti sollemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa. » 3. Quia solenne castitatis votum ex jure naturali et divino tum primis Ecclesiae saeculis, tum posteriori aetate debuit eadem virtute et efficacia praeditum esse; at viri admodum docti existimant solenne castitatis votum olim nuptias non solvisse, sed primum sub Gregorio M. eam disciplinam propositam et demum in Concilio Lateranensi II legem generalem latam esse, ut nulla et irrita forent matrimonia quae contra votum castitatis in Religione approbata solemniter celebrarentur. 4. Demum quia Apostolica Sedes quae summo consilio agit, non semel in votis solemnibus dispensavit. Decretalem autem CUM AD MONASTERIUM de stat. Monach. quae est Innocentii III scribentis: « Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est adnexa regulae Monasticae, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, » auctores hujus sententiae interpretantur, ut id Pontifex nequeat, quoad Monachus in statu monachali permanserit, non autem si ab eodem solutus fuerit.

§ 180.

DE COGNATIONE.

Triplex est cognatio, naturalis, spiritualis, et legalis. Naturalis, quae consanguinitas nuncupatur, est vinculum quoddam personarum, quarum una ab alia, vel omnes ab eadem persona tanquam progenitore, seu communi stipite, ut aiunt,

per carnalem propagationem derivantur. Personae itaque possunt ab uno progenitore descendere duplici modo, vel per generationem immediatam, quatenus una ab altera genita est, uti pater et filius; vel per generationem mediatam, quatenus una alteram non genuit, sed tamen unaquaeque ab eodem proximo stipite per generationes carnales promanat, uti frater et soror, aut duo consobrini, quorum alter alterum non genuit, sed descendunt tamen a communi stipite, scilicet ab eodem patre vel avo. Hinc duplex est linea consanguinitatis, altera recta, altera transversalis seu collateralis. Recta est earum personarum series, quarum una ab altera gignitur, quae si fiat descendendo ex. gr. a patre ad filium, nepotem, etc., *linea recta descendantium*, si vero ascendendo a filio ad patrem, avum, proavum, etc., *linea recta ascendentium* appellatur. Linea transversalis seu collateralis est earum personarum series, quarum una ab altera non gignitur, omnes tamen ab eodem principio seu stipite promanarunt. Quia vero collaterales ab eodem communi stipite possunt aequaliter vel inaequaliter distare, hinc in linea collateralis aequali eae sunt personae quae aequaliter distant a communi stipite; quae autem inaequaliter distant, in linea inaequali esse dicuntur. Quare linea est series seu ordo personarum, inter quas communio sanguinis intercedit, gradus autem est a communi stipite distantia. Tota vero consanguineorum collectio arbor consanguinitatis appellatur. Nihil vero in materia matrimoniali interest, an consanguinitas ex legitimo aut illegitimo concubitu orta sit, an per lineam masculinam aut foemininam communicetur.

Tres institutae sunt regulae ad dignoscendum quot gradibus consanguinei distent inter se. Prima pro linea recta ascendentium aut descendantium haec est: « tot sunt gradus, quot sunt personae dempto uno stipite. » Secunda pro linea collateralis aequali haec est: « quot gradibus a proximo communi stipite personae distant, tot gradibus distant inter se. » Tertia demum pro linea collateralis inaequali est: « quot gradibus

persona remotior a proximo communi stipite distat, tot gradibus distant inter se. » Hinc « vir qui a stipite quarto gradu, mulier quae ex alio latere distat quinto, secundum regulam approbatam, licite possunt matrimonio copulari, » uti confirmat Gregorius IX in cap. *VIR QUI DE CONSANG. ET AFFIN.* Jus civile tum in linea recta, tum in collateralibus tantum respicit numerum personarum, de quarum consanguinitate inquiritur, et quot personae tot gradus enumerat, una ipsarum dempta; quamobrem fratrem inter et sororem, quae scilicet cum communi stipite tres sunt personae, duo gradus numerantur.

Matrimonia inter consanguineos vetita sunt ob triplicem potissimum causam: 1. Ob reverentiam quam consanguinei sibi mutuo debent ex origine ab eodem stipite et sanguinis communione. 2. Ob claritatem quae matrimoniorum multiplicatione cum extraneis latius diffunditur et corroboratur. 3. Ob concupiscentiae compressionem, cui fraenum laxari videtur si matrimonium inter eas personas contrahi posset, quae aut passim sub eisdem tectis commorantur, aut saltem habent majorem libertatem ad licentiam familiarissime utendi. Consanguinitas autem matrimonium dirimit inter quosdam gradus partim lege naturae, partim lege positiva. Jure positivo ecclesiastico consanguinitas in quolibet gradu lineae rectae ascendentium vel descendentium nuptias dirimit in infinitum. Ita Nicolaus I ad Consulta Bulgarorum cap. 39: « inter personas, » inquit, « quae parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, et usque in infinitum. » At in linea collateralibus irritae nuptiae sunt ad quartum usque gradum inclusive. Ita Concilium Lateranense in cap. 8 de *CONSANG. ET AFFIN.*, ubi antiquis Canonibus derogatum est, ex quibus matrimonia usque ad septimum gradum dirimebantur. Jure autem naturae matrimonium vetitum est filium inter et matrem, patrem inter et filiam, atque ex sententia magis recepta inter alios gradus proximiores lineae rectae. An etiam

in remotioribus gradibus, ex. gr. ultra quartum vel quintum gradum nuptiae inter ascendentes et descendentes naturali jure irritae sint, acriter disputant quidam Doctores, lite sane inutili, dum hominum vita brevior est. Nuptias in nullo gradu ascendentium vel descendentium de jure gentium consistere haud posse testatur *L. ult. ff. de rit. Nupt.* his verbis: « De jure gentium incestum committit, qui in gradu ascendentium vel descendentium uxorem duxerit; » et in *L. NUPTIAE ff. eod.* sic legimus: « Nuptias consistere non posse inter eas personas quae in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus usque in infinitum. » Connubia quoque in primo gradu lineae transversalis, hoc est fratrum et sororum, sive germani sint, sive uterini lege naturae prohibita esse plerique Doctores existimant: pudori namque et reverentiae naturali matrimonia hujusmodi adeo repugnant, ut nullae gentes nisi incultae et barbarae eadem permiserint. Illud certum est non constare, dispensationem ullam super hujusmodi gradu unquam tributam fuisse: illud quoque certum est, quod in secundis et reliquis gradibus lineae transversalis sola lege Ecclesiae nuptiae dirimantur.

§ 181.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Cognatio spiritualis oritur ex generatione spirituali quae fit in Baptismo et Confirmatione; per Baptismum enim prima homini vita spiritualis datur, quae deinde per Confirmationem perficitur ac roboratur. Quemadmodum itaque ex naturali generatione naturalis cognatio oritur quae matrimonium dirimit, ita sapienter ab Ecclesia constitutum est, ut inter eos qui ad spirituales generationem aliquid contulerunt, cognatio spiritualis oriatur quae matrimonium dirimat ac dissolvat. Haec autem cognatio nuptias dirimit jure ecclesiastico,

1. inter suscipientes et baptizatum ipsum vel confirmatum, ejusque baptizati patrem et matrem; 2. inter Ministrum baptizantem seu confirmantem, ac baptizatum seu confirmatum, ejusque patrem et matrem. Quod si alter conjugum propriam sobolem levaret, aut extra casum necessitatis baptizaret, hanc quoque cognationem cum altero conjugue contrahit, quae saltem usum conjugii impedit quoad dispensatio obtineatur. De Impedimento Cognationis spiritualis haec habet Justinianus L. 2 cod. de Nuptiis: « Ea videlicet persona omnimode ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis, sive alumna sit, sive non, a sacrosancto suscepit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus per quem Deo mediante animae eorum copulatae sunt. » Spiritualis cognatio quae a baptizato et confirmato cum baptizante vel confirmante, et cum patrino vel matrino contrahitur *paternitas* et *filiatio spiritualis* dicitur; ea vero quae a patrino vel matrino cum patre et matre baptizati vel confirmati, itemque a baptizante vel confirmante cum patre et matre baptizati vel confirmati *compaternitas* et *commaternitas* nuncupatur. Tridentinum vero sess. 24 cap. 2 de Reformat. Matrimon. statuit: « Ut unus tantum vir, sive mulier juxta Sacrorum Canonum statuta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant. » Si vero tres aut plures a parentibus designentur, et Parochi temere admittant, S. Congregatio Concilii testes Fagnano in cap. Ex LITTERIS de Cognation. spirit. censuit, omnes ex designatis quotquot fuerint, cognationem spiritualem contrahere; si quidem ob designationem parentum, Parochi admissionem, et infantis susceptiones in designatis omnibus conditiones reperiuntur quae ad cognationem contrahendam postulantur. Tridentinum autem, quamvis vetuerit plures quam duos designari, factum tamen contra prohibitionem non irritavit, et

impedimentum sustulit inter eas tantum personas, quae praeter designatos baptizatum susceperint vel tetigerint. Porro non contrahitur cognatio a procuratore qui alieno nomine infantem levat, sed a solo mandante, quod ab eadem S. Congregatione declaratum esse ait Pontius de Matrim. lib. 7 cap. 39 n. 10. Demum eadem S. Congregatio in *una Licen.* 13 Julii 1664: « Post maturum examen et discussionem censuit, non confirmatum, si susceperit aliquem in Sacramento Confirmationis, non contrahere cognationem. » In dubium quoque vocari non potest, quin nullam spiritualem cognationem contrahat patrino, qui non baptizatus infantem e sacro fonte suscipiat; cum enim per Baptismum in Ecclesiam ingressus non sit, ecclesiasticis legibus non obstringitur.

§ 182.

DE COGNATIONE LEGALI.

Cognatio tandem legalis a civilibus legibus primum inducta et mox a Sacris Canonibus recepta, est personarum propinquitatis quae ex legitima adoptione proficiscitur. An impedimentum cognationis legalis ex sola adoptione perfecta, seu arrogatione, an etiam ex adoptione imperfecta exoriatur, non plane liquet: de quo confer Benedictum XIV de Syn. Dioec. lib. 9 cap. 10 n. 5. Haec autem cognatio vel paternitas, vel fraternitas, vel affinitas audit: quae nomina personas spectant, inter quas nuptiae dirimuntur. Igitur paternitas legalis est cognatio in linea recta in adoptantem tanquam patrem legalem, et adoptatum tanquam filium, ejusque descendentes. Sanchez de Matrim. lib. 7 disp. 63 n. 35, alique plures existimant, cognationem hanc et profluens ex ea impedimentum ad primum gradum extendi, et deinde ad eos omnes qui ipso adoptionis tempore sub potestate adoptati reperiuntur constituti; adoptata enim aliqua persona censentur

adoptati etiam ejus filii et descendentes in quovis gradu, qui tempore adoptionis erant in potestate ejusdem personae adoptatae, ut expresse decisum est in L. SI PATERFAMILIAS 15 ff. de Adopt. Ex qua sententia consequitur : 1. Hoc genus cognationis legalis primum gradum, hoc est adoptantem et adoptatum non excludere, consequenter tamen porrigi ad descendentes adoptati, si quos in patria potestate habeat. 2. Posse matrimonium consistere inter adoptantem et filiam filiae adoptivae, quia mulier neminem habet in sua potestate, § FOEMINAE Instit. de Nupt. 3. Posse matrimonium consistere inter adoptantem, et quamcumque filiam illegitimam adoptati, quia illegitimus, quamdiu illegitimus manet, patriae potestati non subditur, § final. Instit. de Nupt. Attamen Doctores aliqui putant, hanc cognationem in linea recta usque in infinitum diffundi. Aliis denique placet eam porrigere usque ad quartum gradum inclusive. De quibus vide Sanchez loc. cit. Hoc impedimentum in linea recta perpetuum est, siquidem durat etiamsi per emancipationem adoptio soluta fuerit.

Fraternitas legalis est cognatio in linea collateralis, quae nuptias dirimit inter filios adoptantis et adoptatum tanquam inter fratres et sorores. Hoc autem impedimentum fraternitatis legalis nuptias dirimit, quamdiu durat adoptio, cap. SI QUA de Cognat. legali. Nomine vero filiorum adoptantis veniunt filii legitimi, non spurii et illegitimi. Quare filius illegitimus eam ducere poterit quam pater suus per adoptionem sibi filiam quaesiverit. Si enim haec cognatio, soluta per emancipationem patriae potestate, evanescit, illud sponte sequitur quod a filiis illegitimis non contrahatur, quippe qui vinculo patriae potestatis non ligantur. Videtur etiam inter filium adoptatum et filiam adoptatam ab eadem persona matrimonium consistere posse : nam adoptati, quanquam cognationem contrahant cum liberis naturalibus adoptantis, quamdiu adoptio durat, inter se tamen nullo cognationis vinculo ligantur, quem-

admodum cum sententia magis recepta tradit Sanchez lib. 7 disp. 63 n. 28.

Denique affinitas legalis est cognatio inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis. Haec matrimonium dirimit soluta etiam adoptione : « Adoptivus filius, si emancipetur, eam quae patris adoptivi uxor est ducere non potest, quia novercae locum habet. » L. ADOPTIVUS ff. de rit. nupt.

§ 183.

DE CRIMINE.

Ad praecavenda adulteria et caedes conjugum, atque in justissimam horum criminum poenam Ecclesia provido sane decreto constituit, ut inter tanti flagitii complices matrimonium dirimeretur : videlicet constituit, ut dirimens matrimonii impedimentum esset : 1. Conjugis homicidium ; 2. Homicidium cum adulterio ; 3. Adulterium cum promissione futuri matrimonii ; 4. Adulterium et matrimonium vivente conjugum cum adultera attentatum. Haec quatuor criminum genera, quae de jure ecclesiastico matrimonium dirimunt, singillatim percurramus,

Quod ad primum attinet, caedes conjugis impedimentum dirimens matrimonii est, cum ab utraque parte in eum finem procurata fuit, ut secum nuptias inire possent. Quare ut impedimentum prodeat, tria postulantur : 1. Ut tam vir, quam mulier in mortem conjugis physice aut moraliter, consilio nempe aut mandato, concurrant. 2. Ut ex mutua eorum machinatione innocens vere obierit. 3. Ut mortis machinatio eo animo patrata sit, ut post innocentis obitum duo complices matrimonium inter se inirent. Homicidium autem cum adulterio conjunctum, quod alterum criminis genus est, ut impedimentum dirimens pariat, tria quoque requiruntur. 1. Ut

alteruter etiam absque ulla alterius adulteri participatione seu conspiratione sit vera, seu physica seu moralis, causa homicidii. 2. Ut ex tali machinatione innocens interierit. 3. Ut mortis machinatio ab alterutro fiat ex animo nuptias cum altero contrahendi.

Tertium criminis genus, quod matrimonium dirimit, est adulterium cum futuri matrimonii promissione, sive haec ante, sive post perpetratum adulterium intercedat. Oportet autem: 1. ut nuptiarum promissio et adulterium vivente conjugis fiat. 2. Ut promissio sit seria, et secundum communio-rem sententiam pura et absoluta, aut saltem ante legitimi conjugis mortem purificata et ab altera parte acceptata. Leges enim poenales strictam interpretationem admittunt. 3. Ut adulterium sit utrinque formale, hoc est ut uterque adulter, dum adulterium perpetrat, sciat alterius conjugium; altero enim illud ignorante non est locus huic impedimento. Hinc ex. gr. si mulier adulterium perpetrans ignoret, virum cum quo peccat esse conjugatum, adulterium hujusmodi non erit impedimentum dirimens, ut expresse habetur cap. 1 De eo qui dux. in matrim. Itemque si ambo conjugati sint, neuter autem alterius conjugium noverit, non oritur impedimentum, eo quod ex utraque parte uni eidemque matrimonio injuria non inferatur. 4. Ut adulterium ipsum perfectum sit, consummatumque.

Quartum tandem criminis genus est, cum quis legitimo vivente conjugis matrimonium per verba de praesenti contrahere attentat cum persona, cum qua adulterium perpetravit: tunc enim etiam defuncto adulterae viro aut adulteri uxore, nubere invicem nequeunt, irritumque esset matrimonium si nubarent. Duo autem concurrere debent, ut crimen hoc nuptias dirimat: 1. ut matrimonium cum primo conjugis validum fuerit: 2. ut primum hoc matrimonium validum alteri parti innotuerit.

§ 184.

DE CULTUS DISPARITATE.

Cultus disparitas hoc loco significat eam Religionis diversitatem, quae inter fidelem baptizatum et infidelem non baptizatum intercedit. Ex hoc itaque impedimento si Turca, vel Hebraeus, aut alius quilibet Baptismo non regeneratus mulierem Christianam duxerit, aut contra vir baptizatus mulierem non baptizatae nupserit, nullum atque irritum erit matrimonium. Potissima autem hujus impedimenti ratio est, quod elevato ad dignitatem Sacramenti Matrimonio, non deceat ipsum a fidelibus iniri cum infidelibus, qui nullius Sacramenti capaces sunt. Hinc accedunt periculum tum subversionis conjugis fidelis, tum pravae educationis filiorum, aliaque gravissima incommoda, quae Tertullianus graphice describit lib. 2 ad Uxorem cap. 2. Olim tamen inter cultu dispares matrimonia valida habebantur: tale fuit S. Monicae matrimonium cum Patricio viro ethnico, ut Augustinus ipse testatur. Hoc siquidem impedimentum non a jure naturali, vel divino profectum, sed a jure tantum ecclesiastico invecum esse constat inter omnes; quin jure ecclesiastico non scripto, sed consuetudinario seu a consuetudine hujus impedimenti originem passim repetunt Canonistae.

Matrimonia autem cum haereticis improbata quidem sunt Concilii generalis Chalcedonensis lege, aliisque contrariis Sacrorum Canonum sanctionibus, idque non solum ex periculo quod imminet et conjugis Catholico subversionis, et filiis pravae educationis, sed etiam ex vetita Catholicorum cum haereticis communiione in rebus sacris; qui enim cum haeretico matrimonium contrahit, unum idemque Sacramentum cum ipso vel conficit, si contrahentes sint ministri, vel percipit si Sacerdos minister sit. Si tamen sive jus scriptum, sive non

scriptum, consuetudinem videlicet spectes, matrimonia Catholicorum cum haereticis irrita et invalida non sunt, dummodo coram Parocho et testibus, ubi Tridentinum publicatum est, celebrentur, et nulla conditio substantiae matrimonii contraria in pactum deducatur, quod saepius haeretici cum Catholicis nuptias ineuntes facere solent, qualis est ex. gr. conditio de Matrimonii vinculo ob causam adulterii dissolvendo, de qua supra dictum est; qualis etiam videtur esse conditio in pactum deducta de liberis vel omnibus, vel aliquibus in haeretica secta educandis. Nam matrimonio ad dignitatem Sacramenti elevato, « primum matrimonii bonum est proles, hoc est liberi qui ex justa et legitima suscipiuntur uxore. Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione etiam et disciplina qua filii ad pietatem diriguntur, intelligendum est. » Verba sunt Catechismi Romani part. 2 de Sacram. Matrim. n. 23. Et n. 15 cit. loc. haec tradiderat: « Matrimonium ut naturalis conjunctio ad propagandum humanum genus ab initio institutum est; ita deinde ut populus ad veri Dei et Salvatoris nostri cultum et religionem procrearetur atque educaretur, Sacramenti dignitas illi attributa est. » Et paucis verbis sed perspicuis S. Thomas in sup. quaest. 59 art. 1 docet: « principaliter matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda. » Jam vero si praecipuum Matrimonii, uti Sacramenti, bonum est non procreatio tantum prolis, sed et ejus in Catholica fide institutio, quis dubitare poterit, quin conditio huic educationi contraria, substantiae ipsius Matrimonii adversetur?

Verum hac missa quaestione, quamvis illicita sint matrimonia quae a parte Catholica cum haeretica contrahantur, nil tamen impedit quominus Pontifex possit gravibus causis adductus dispensationem indulgere ad matrimonium cum haeretico contrahendum, quemadmodum multis probat Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 9 cap. 93. Solemne est autem Pontificibus Summis dispensationem non tribuere, nisi

adjecta conditione « *abjurata prius haeresi* : » ut refert idem Pontifex in suis litteris ad Episcopos Poloniae die 18 Junii 1748 datis, quarum initium MAGNAE NOBIS ADMIRATIONI, ubi etiam animadvertit, dispensationes, quae sine conditione de haeresi abjuranda concessae sunt « rarissimas primum esse et quidem plerasque inter supremos Principes, et gravissima urgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente factas fuisse : insuper adjectas fuisse oportunas cautelas tum ne conjux Catholicus ab haeretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, tum etiam ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in Catholicae Religionis sanctitate omnino educaretur. »

Quod vero pertinet ad formam hujus conjugii celebrandi, quamvis praesentia Parochi et testium postuletur ubi Tridentinum publicatum est, his tamen nuptiis neque Sacerdotalis benedictio impertienda, neque Missa in praesentia haeretici celebranda, nec matrimonium ipsum intra ambitum Ecclesiae contrahendum est, eum horum nihil necesse sit ad ejus validitatem intervenire. Confer Roskovany de Matrimoniis mixtis, ubi hoc argumentum copiose solideque pertractat, adjectis etiam iis omnibus quae hactenus hac super re a Sede Apostolica prodierunt.

§ 185.

DE VI.

Si quis unquam contractus libertate fruatur oportet, is profecto est, quo vir et foemina ad individuam vitae societatem nexu quodam, eoque scilicet indissolubili, copulantur. Itaque Ecclesia jure meritoque sancivit, ut matrimonia per vim contracta dirimantur. Vis autem in absolutam et conditionatam dividitur : vis absoluta est coactio omnimoda et corporalis personae reluctanti illata, veluti si quis per vim externam cogatur